

nostra a resurrectione Domini: Illa clarificata est naturaliter, nostra vero per gratiam. Deinde per septuagesimum pervenitur ad clausum pascha, in quo baptismi celebratio finitur. Denarius currens per septenarium septuaginta facit. Spiritus sancti¹ dona in scripturis septenario precipue numero commendantur, sive apud Esaiam sive in Apocalipsi, ubi apertissime septem spiritus Dei perhibentur propter operationem septinariam unius eiusdemque spiritus. Deus enim, qui nos fecit suam domum in primum pascha, et præcepit operari perfecta opera in medio pascha, ipse effectum operationis tribuit in clauso pascha. Sicut bonus dominus, qui fabricat domum, ponit in² ea custodes, ut tueatur a furibus, et dat semen seminanti, unde in futuro capiat fructum. Et hic similiter duo differunt inter quartam feriam et septimam. Septem ebdomadarum ieiunium Telesforus nonus a beato Petro principe apostolorum sanxit³. De sex nullus dubitat, quin ipsius ecclesiae consuetudo sit, exponente beato Gregorio de XXXVI diebus, qui in sex septimanas (sic) exceptis dominicis continentur. Unde miror, quia dicit in omelia sua⁴, non plus esse in abstinentia quam XXXVI dies, cum si quis inchoaverit ieiunium secundum constitutionem antiphonarii et missalis, qui eius nomine titulatur, dies XL habeat in abstinentia. Non enim possumus vere dicere, quod non esset quadragesimus hic ante sanctum Gregorium, cum Augustinus dicat⁵, qui præcessit sanctum Gregorium, ut XL illi dies ante pascha observentur, ecclesiae consensio roboravit. Ut finem huic dubitationi meae vestra prudentia imponat, obnixè posco.

Ista prelibata, quae in itinere occurrerunt. Tempus est, ut de metatu cogitem. Firme teneo, quod nihil subsicivum a patribus sanctis constitutum sit, sed omnia ratione dignissima, et nihil in ecclesia frequentetur, quod non sit tritum eorum vestigiis. Qua de re vestram auctoritatem operior de duodecim lectionibus primi mensis, pro quibus istę litterae scriptę sunt, ut ipsam constituat⁶ in portum tutissimum. Pro mam tamen, quamvis presumptuose, quod mihi videtur posse congruere presenti rationi, non præponendo potiori. Quod si probabile est, oro probetur per vos; si corrigendum est, corrigatur per vos⁷. Ipsa enim consecratione hoc agitur, ut homo Deo conungatur. Respondente Gregorio interrogationi Augustini, ubi interrogavit⁸, si propter longinquitatem itineris unus episcopus ordinare posset. Illo respondente, si difficultas

1) 'sanctus' Hs. 2) 'in' von zweiter Hand. 3) Anastas. Biblioth. IX. Migne, P. lat. 127. 1175. 4) In Evang. L. I, Hom. 16. Ed. Maur. I, 1495. 5) Sermo CCX cap. VI. Ed. Migne V, 1051. 6) Auf Rasur und von zweiter Hand verbessert. 7) 'si corr. — vos' von zweiter Hand am Rande zugesetzt und vielleicht bloss Glosse. 8) Bedae Hist. eccles. I, 27. Ed. Giles. II, 114.